



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dies Rogationum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

*Instructio meritoria.*

Ut verò in accuratum & fidelem Di-  
vinorum mandatorum excrescamus exe-  
cutorem, in nostro cubiculo humiliter  
coram Crucifixo genuflectamus, & cum  
magna cordis compunctione persolva-  
mus : *Confiteor Deo Omnipotenti &c.*  
Sicque Jesu doloroso culpam nostram di-  
camus de omnibus nostris negligentiis,  
præsertim de tot omissis pretiosis virtu-  
tum variarum operibus, quæ debuisse-  
mus operari ex multiplici instinctu Spi-  
ritus Sancti, & non operati sumus. In  
fine addamus Psalmum *Miserere.* Pec-  
casti ? non erubet te humiliare.

## Dies Rogationum.

## EXHORTATIUNCULA I.

**P**uri, & mundi accedamus ad ora-  
tionem. Induamus nos meritis  
Christi, quæ nostra sunt : Nam illa no-  
bis commodavit. Per Jesum ergò ô fili !  
deprecetur Patrem, ut eò promptius  
moveatur ad dandam vobis petitam e-  
leemosynam. Anne minus misericos est  
Deus, quam nos miseri ?

In-



*Instructio meritoria.*

Munda ut sit semper oratio nostra,  
 Processioni hodiernæ intersit cum omni  
 gravitate & modestiâ angelicâ, & ex spe-  
 ciali devotione erga SS. Trinitatem per-  
 solvamus officium minus de eadem, de-  
 precantes pro distractionibus sub preci-  
 bus sæpè sæpiùs admissis. Cor mun-  
 dum respicit Deus.

## II.

**F**ili! conqueri non possumus de Deo,  
 si nobis non concedat gratias, quas  
 petimus ob Passionem Filii; quia nec  
 nos ob illius mortem volumus depone-  
 re culpas, & defectus quotidianos.  
 Quomodo volumus inclinare volunta-  
 tem Patris ad nos ob sanguinem Filii, si  
 ob eundem sanguinem nondum statua-  
 mus nostram relinquere voluntatem  
 perversam? irreverenter petimus: Ec  
 exaudiri desideramus? qualis temeritas?

*Instructio meritoria.*

Satisfaciamus proin, & coram qua-  
 dam imagine dolorosa 12. *Pater & Ave*  
 cum totidem *Gloria Patri &c.* recite-  
 mus, ac pro sancto odio propriæ volun-

D 2

tatis

tatis morienti ex obedientia Christo Redemptori offeramus. Obediendō similes erimus Altissimo.

## III.

**M**irum! homines volunt non tam rogari urbanè, sed & humiliter: Et nos Deum præsumimus exorare elati, immodesti, garruli, & distracti? discamus à Christo orare in horto. En! fervet etiam usque ad guttas sanguinolenti sudoris. Ubi fervor? ubi devotio?

*Instructio meritoria.*

Ut imitemur, in honorem omnis à Christo Jesu effusi pretiosi sanguinis 15. Pater & Ave persolvamus, quibus & illam jam notam oratiunculam subiungamus: *Respice, quæsumus Domine! super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Jesus Christus non dubitavit &c.* Ex die & festo Cœnæ Domini. Inuncta sanguine Christi ô quām Deo accepta oratio!

In

